

in actu Sacramentalis Confessionis sollicitatione veram esse demonstrat; sin minus neque qui chartam postea legendam poenitenti tradit de sollicitatione esset inculpandus.

Verum nedum in actu, sed etiam *ante vel immediate post confessionem* quis reus sollicitationis esse potest. Hoc in loco S. Alphonsus *lib. VI. n. 677* legit *immediate ante vel immediate post*, dum certum est tam a Gregorio XV, quam a Benedicto XIV adverbium *immediate* unice post confessionem adiectum fuisse: *sive antea vel post immediate* primus sancit: *vel ante, vel immediate post confessionem* alius scribit. Exinde sequitur, nullo modo necessarium esse ut sollicitatio immediate praecedat confessionem, ita ut nulla alia actio, vel factum, vel dictum intermedia intercesserint, sed satis est ut quomodolibet sollicitatio praecedat confessionem, quamvis sollicitationem inter et confessionem quid medium intercedat. Hinc reus sollicitationis ex capite *ante confessionem* ille confessarius erit, qui genuflexam mulierem ad Confessionarium confitendi causa, antequam de more recitet *confiteor*, vel actum contritionis, eam sollicitat; quamvis, antequam eius confessionem audiat, intermisceat alios sermones indifferentes, et nullo pacto inhonestos. At si praepositioni *ante* praeponatur adverbium *immediate*, hic Sacerdos ex capite *ante confessionem*, denunciandus non esset, cum vere et proprie mu-

lierem *immediate ante confessionem* non sollicitarit; et multo magis id dicendum esset, si Confessarius post peractam sollicitationem, mulierem in Confessionario deserat alicuius brevis negotii gerendi causa, ex gr. ut salutet Episcopum venientem, vel ante Confessionarium amicum aliquid, nec brevissimo temporis spatio, sibi dicentem audiat. Id vero nullo pacto defendi posse putamus, cum ex verbis legis hic confessarius vere et proprie poenitentem ante confessionem sollicitaret, quamvis non *immediate ante*: at adverbium *immediate ante* confessionem deest in lege; nullo ergo pacto illud intrudere vel debemus, vel possumus.

Fatemur, nos prorsus non intelligere, neque causam detegere, quare nedum S. Alphonsus de Liguorio loc. cit. aliique ex antiquis; sed praeclarissimi Commentatores Const. *Sedis Apostolicae* Reatinus, Patavinus, De Varceno, Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique *Tom. XII. pag. 29.* particulae *ante confessionem* praeponant adverbium *immediate*. Putamus autem id factum fuisse, quia adverbium *immediate* positum in Bulla Gregorii XV postremo loco (*sive antea vel post immediate*) referant ad utrumque. At praeterquamquod id evidens non sit, cum referri possit tantum ad praepositionem *post*, in Bulla Benedicti XIV quaelibet tollitur ambiguitas, cum scripserit *vel ante, vel immediate post confessionem*,

ita ut adverbium *immediate* referendum necessario sit tantum ad particulam *post confessionem*. Quidquid ergo sit de Gregorii XV Bulla supponere debemus illius mentem Benedictum XIV in re explicasse; consequenter ex hoc capite denunciandum esse confessarium illum, qui mulierem ad Confessionarium genuflexam, et petentem confiteri illico sollicitat, antequam vero eius confessionem audiat, quid medium intercesserit, ut supra innuimus; etenim verum est, a Confessario mulierem sollicitatam ante confessionem fuisse, quamvis non *immediate*, quae conditio in re a Legislatore non exigitur. Minus hinc veram sententiam illorum Commentatorum nobis videri, qui scribunt, tum contingere ut Confessarius dicatur sollicitasse mulierem ante Confessionem, si inter sollicitationem et confessionem nullum intervallum intercedat, ut prorsus scribunt ii quos supra citavimus.

At prorsus ita est relate ad sollicitationem quae subsequatur confessionem.

Cum enim Benedictus XIV dicat: *vel immediate post confessionem*, inter confessionis terminum et sollicitationem nullum esse medium vel intervallum debet, cum sin minus *immediate post confessionem* sollicitatio non haberetur.

Quamvis autem nonnulli sint qui adverbium *immediate* moraliter sumendum esse affirmant, tamen communior sententia est *physice* esse

sumendum: et quidem verius, ex ipsa vocabuli etymologia, et usu recepto, ut patet; a sensu recepto autem sine necessitate non est recedendum; at nulla in re apparet necessitas sumendi moraliter adverbium *immediate*.

Exinde si absolutionem vel confessionem inter et sollicitationem aliqua diversa actio intercedat, et peragatur sive a Confessario, sive a poenitente, denunciandus confessarius non esset tanquam *immediate post confessionem poenitentem sollicitaverit*. Attamen si vix peracta confessione initium sollicitationis Confessarius ponat: dixerit ex gr. *poenitenti: expecta me tantisper*, aut: *Abi in Sacristiam et tibi porrigam testimonium confessionis peractae*, vel: *dabo rosarium, imaginem etc.*, et postea pergat et sollicitet, quamvis alias actiones peregerit et aliquod temporis intervallum intercesserit, hoc in casu dicendus esset sollicitasse *immediate post confessionem*, cum reapse sollicitationis initium sit prorsus *immediatum*.

Equidem non ignoramus ea quae scribit Giraldi, *loc. cit. pag. 637*, ex praxi scilicet Tribunalis Universalis Inquisitionis non intelligi *immediate post* confessarium sollicitasse, si post integrum transactum diem tractatus, aut actus inhonestos habuerit cum poenitente; verum non putamus, haec iis quae scripsimus contradicere, quia praxis est, non doctrina; in praxi au-

tem posse tribunal quodcumque remissius vel severius agere inspectis praesertim circumstantiis: atque, de cetero quod dies subsequens haberi nequeat ut *immediate post confessionem*, non infert id quod est, sed id quod non est. Demum, cum in odiosis versemur, nos adhaeremus stricto verborum sensui; praxis autem illa haberi non potest uti legis declaratio, saltem authentica, quae necessaria est ad regulam in re constituendam; quod demum patet ex communiori doctorum sententia, qui quamvis praedictae praxis cognitionem habeant, tamen affirmant per *immediate* post id intelligi, quod confessionem inter et sollicitationem nulla alia actio intercedat.

Sed Confessarius est etiam denunciandus si poenitentem sollicitarit *occasione aut praetextu confessionis*. Dicitur porro quis sollicitasse *occasione confessionis*, cum vel poenitens Confessarium rogat, vel Confessarius poenitentem inducit ad confessionem veram; *praetextu* si ad confessionem fictam.

Iuxta Giraldi occasione confessionis tribus modis Confessarius sollicitare posse videtur. Primo, dum ex expressa, aut tacita confessionis petitione sollicitandi motivum sumit... Secundo ex confessione ipsa, hoc est, dum intelligendo quae cum aliis agit, vel facere optavit, aut ad venerem proclivitatem occasionem nanciscitur, vel verbis vel signis ad inhonesta provocandi. Tertio demum, cum notitia utitur, quam ex

confessione habuit, ad incitandum et facilius movendum ad assensum.

Hinc ex particula *occasione confessionis*, inquit S. Alphonsus *loc. cit. n. 678*, denunciandus est confessarius, qui rogatus ad confessionem divertit, et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa; item confessarius, qui cognita in confessione mulieris fragilitate, domum eius adit et sollicitat, quia cum sollicitatio impulsus habeat a Confessione, satis verificatur, quod occasione confessionis fiat sollicitatio. Hoc tamen in loco apprime consideranda sunt quae scribit Giraldi *loc. cit. pag. 637*. « Sed ut poenitens hanc ob » causam denunciare teneatur, ha- » beat necesse est certa indicia, » quibus prudenter iudicare possit, ex huiusmodi scientia sollicitandi motivum accepisse; nam » si indicia huiusmodi desint, praesumi potest aliis ex causis motum fuisse ad sollicitandum. Superpetunt vero poenitenti huiusmodi indicia, si confessarius brevi post confessionem tempore poenitentem sollicitet, veluti personam quae facile acquiescere soleat, vel natura ad huiusmodi actus propensa sit, et si aut generalibus verbis, aut nutibus in sollicitando utitur, quibus indicare videatur, se scire, vel quid cum aliis egerit, vel quam alias ad haec propensa fuerit, aut quidpiam iis simile, quod ex confessione noverit. »

Non item Confessarius qui rogatus a foemina ut cras suam confessionem excipiat, eam sollicitat; etenim in cit. S. Officii Instructione 1664 n. 4. proposito dubio: An confessarius, qui foeminae in confessionario dicenti se velle in crastionum confiteri, illam sollicitat, et confessionem dissuadet, sit denunciandus? Responsum fuit: « Si sollicitatio fiat extra locum » confessionis, et absque praetextu » confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; » secus in confessionario, seu in » loco confessionis. »

Praetextu autem confessionis denunciandus est Confessarius qui ex pravo fine fecte invitat mulierem ad confessionem et deinde sollicitat. *Ib. n. 679*. Varios casus lectores nostri penes theologos videant et perpendant. Nos unum addimus, ex verbis latae in re legis apparere, praetextum confessionis poni a Confessario debere; quare si non hic, sed poenitens confessionem praetexit, ut ex. gr. si se infirmam mulier simulat, et confessionis praetextu Confessarium advocet; vel si praetextum Confessarius quidem ponat, non tamen ut decipiat poenitentem, sed alios, ex. gr. si Religiosus praetextu confessionis audiendae licentiam a Superiore obtineat ad eundem domus se simulantis infirmam; vel tum confessarius tum poenitens confessionem praetexant, ut adstantes removeant, non esset confessarius iste denunciandus praetextu

confessionis, cum illius praetextus non adsit in primo casu ex parte confessarii; in aliis duobus autem nullus sit praetextus confessionis, prout in lege edicatur. Ita etiam S. Alphonsus, et alios inter Commentator Reatinus.

Attamen in primo proposito casu adversarium habemus cl. P. Ballerini, qui in notis ad Theologiam moralem P. Gury *Tom. II. pag. 345*, *Nota (b) in fine*, haec scribit: « Ad » dit S. Alphonsus (lib. VI, n. 679) » multo minus sibi denuntiandum » videri confessarium *si mulier,* » *nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocet » et sollicitet, quamvis deinde rem » habeant; quia ex Bulla tunc confessarius denuntiari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis: at in hoc casu non confessarius sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat. Verum et ista resolutio nimis difficilis videtur. Quamvis enim Confessarius denuntiandus non sit, quod praetextu confessionis a se excogitato ipse utatur ad irretiendum poenitentem, tamen dum credit, se ad audientem confessionem accedere, praetextu confessionis abutitur ad contentiendum provocationi, atque adeo ad inhonestum tractatum, idque praestat simulando confessionem. Nonne enim hic habemus *inhonestum tractatum cum simulatione confessionis in loco ad confessionem electo*, licet ex-*

» *tra occasionem confessionis*, prouti
» in Apostolicis constitutionibus le-
» gitur? »

Eiusdem porro sententiae sunt
clarissimi Scriptores Ephemeridis
vulgo *La Nouvelle Revue Théologi-*
que, Tom. XII, pag. 35 n. 38.
« Sententia opposita, scribunt, ge-
» neraliter praevallet, et ut nobis
» videtur, rationabiliter, quia ve-
» rissime in casu dici potest, quod
» Confessarius *habuit inhonesta cum*
» *muliere praetextu confessionis.*

» Dum S. Alphonsus contrariam
» sententiam defendit sibimetipsi
» constitit, et principio propugnato,
» quod Confessarius debet esse solli-
» citationis auctor; hoc autem prin-
» cipium repudiatum fuit a suprema
» universali Inquisitione. Nullo pacto
» necessarium est ut sollicitatio ab
» confessario originem habeat, nec
» ut confessionis praetextus ab ipso
» inducatur, nihil est in Pontificiis
» Bullis quod hoc exigat. » (1)

Ne nobis tanti viri irascantur si
S. Alphonsi sententiae adhaeren-
dum esse putemus; si autem in er-
rorem prolabimur, benignam dent
veniam.

Et ut exordiamur ab iis quae
postremo proferunt cl. Scriptores
de la Nouvelle Revue Théologique,

(1) Le sentiment opposé est généralement adopté, et avec raison, nous sem-
ble-t-il; parce qu'on peut dire en toute vérité que le confesseur *habuit inhonesta*
cum muliere praetextu confessionis.

En soutenant l'opinion opposée, S. Alphonse était conséquent avec le principe
qu'il avait posé antérieurement, que le confesseur doit être l'auteur de la sollici-
tation: principe qui fut rejeté par la S. Congrégation de l'Inquisition. Il n'est
nullement nécessaire que la sollicitation émane du confesseur, ni que le prétexte
de la confession soit produit par lui; rien dans les Bulles Pontificales ne l'exige.

nihil esse scilicet in Pontificiis consti-
tutionibus quod exigat ut confessio-
nis praetextus ab Confessario induca-
tur, audacter affirmamus, in pontifi-
ciis constitutionibus praetextum e-
iusmodi prorsus a Confessario repeti.

Profecto legenti Bullas tum Gre-
gorii XV, tum Benedicti XIV evi-
dentissime apparebit, eas latas esse
absolute et directe contra confes-
sarios sollicitantes ad turpia; ne
scilicet Sacramentum, quod in sa-
lutem et curationem animarum a
Deo... institutum est, execrabili sce-
lestorum quorundam Sacerdotum
improbitate in earum perniciem at-
que interitum vertatur. Bulla *Sa-*
cramentum Poenitentiae. Exordium.

De constitutione autem Grego-
rii XV affirmat: « Sapienter (ab eo)
» provisum fuit contra quoscumque
» Sacerdotes audiendis confessioni-
» bus deputatos, ad turpia et in-
» honesta sollicitantes. » *Ibid.* § 1.

Atque paullo post: « Nos ita
» que mature perpendentes quanti
» momenti sit... et intersit ne ali-
» qui Sacerdotes Poenitentiae Sa-
» cramento nefarie abutentes poe-
» nitentibus pro curatione vulnus,
» pro pane lapidem, pro pisce ser-
» pentem, pro medicina venenum
» porrigant. » *Ibid.*

Hinc omnibus haereticae pravi-
tatis Inquisitoribus, et locorum Or-
dinariis omnium regnorum commit-
tit, ut diligenter inquirant contra
omnes et singulos Sacerdotes tam
Saeculares, quam regulares.... qui
aliquem poenitentem « vel in actu
» Sacramentalis confessionis, vel
» ante vel immediate post etc. ad
» inhonesta et turpia sollicitare ten-
» taverint. »

Ex quibus evidentissime appa-
ret, ut alia praetermittamus argu-
menta, in Bulla Benedicti XIV, et
idipsum dicatur de Constitutione
Gregorii XV, actiones omnes, qui-
bus sollicitatio peragitur, unice, ab
Sacerdotibus repeti, non a poeni-
tentibus; consequenter evidentissi-
mum esse confessionis praetextum
a confessario, non a poenitente poni
debere; quod de cetero constat pa-
riter evidentissime ex ipsa particula
Constitutionis, in qua varii solli-
citationis modi describuntur, et pro-
hibentur severissime. Unicum caput
in quo initium peccati a poenitente
quoque repeti potest, et cui Con-
fessarius assensum praestet, est po-
timum, scilicet: *aut cum eis* (poe-
nitentibus) *illicitos et inhonestos*
sermones, vel tractatus temerario
ausu habuerint; in quo tamen con-
fessarius ipse in crimen vocatur.

Quod vero de praetextu dixi-
mus, de sollicitatione pariter dicen-
dum est, quae a Confessario, iuxta
strictum verborum sensum, quibus
lex constat, originem habere debet;
etenim, inter alia, constitutiones

latae fuere contra *Confessarios qui*
poenitentes ad turpia sollicitant;
neque in re eiusmodi S. Alphon-
sus hallucinationem vel errorem pas-
sus est.

Quid ergo? Num ne exinde pro-
bare intendimus S. Alphonsi sen-
tentiam, qui affirmat, non esse de-
nunciandos Confessarios non solli-
citantes, sed sollicitationem passos?
Nequaquam; etenim Supremae In-
quisitionis decreta novimus sancti
Doctoris Sententiam repudiantis: di-
cimus tamen improbabilem S. Al-
phonsi sententiam evasisse, non vi-
litarum Constitutionum Gregorii XV
et Benedicti XIV, se vi Decretorum
Supremae Inquisitionis, quae latae
leges merito extendere potuit etiam
ad Confessarios sollicitationem pas-
sos; etenim et hi iniuriam maxi-
mam Sacramento irrogant, quaeque
decreta S. Alphonsi latuere.

Quidquid tamen de eiusmodi
quaestione sit, dicimus, circa prae-
textum confessionis in re non eo-
dem modo procedendum esse ac
circa sollicitationem. Etenim lex est
odiosa, et lex eiusmodi non est ex-
tendenda de casu in casum neque
ob paritatem rationis; cum autem
pro sollicitatione originem habente
ab poenitente existat vel lex pon-
tificia, vel Decretum S. Officii, haec
lex non debet neque potest extendi
ad praetextum confessionis qui a
poenitente non a confessario ponat-
ur; etenim in casu lex pontificia
evidens est dum praetextum con-
fessionis a confessario repetit, non

a poenitente; neque ullum adest Supremae Inquisitionis decretum (saltem nos nullum novimus) praecipiens denunciandum esse confessarium etiam quando praetextus confessionis a poenitente ponitur; quo ergo iure obligatio eiusmodi poenitenti imponetur?

Hinc argumentum paritatis inter denunciationem Confessarii qui sollicitatus a poenitente consentiat, et Confessarium qui vocatus a poenitente praetextu confessionis et ab ea sollicitatus, sollicitationi consentit, stare non videtur ob allatas rationes, naturam scilicet legis odiosae, quae non est extendenda de casu in casum, et defectum legis vel decreti alicuius sancientis denunciandum esse confessarium qui sollicitatus a muliere praetextu confessionis cum ea peccat. At obligatio quaelibet ex lege vel decreto aliquo imponenda est.

Diverso defectu autem nobis laborare videtur ratiocinatio cl. P. Ballerini; dum enim scribit *loc. cit.*: *Confessarius dum credit, se ad audiendam confessionem accedere, praetextu confessionis abutitur ad consentiendum provocationi*, affirmat quod in quaestione versatur; quaestio enim prorsus est ista: an confessarius eiusmodi sit denunciandus; dum vero subdit: *idque praestat simulando confessionem*, statum quaestionis immutat: non enim quaeritur: an sit denunciandus confessarius qui in loco ad confessionem electo, simulando confessionem, poe-

nitentem vel sollicitat, vel sollicitationi assentitur; hoc enim ex lege constat; sed quaeritur: an denunciandus sit confessarius qui vocatus praetextu confessionis, sollicitationi animum accommodat. Quae duo sunt omnino diversa.

Affirmat insuper doctissimus Pater, confessarium eiusmodi denunciandum in casu esse, quia confessionem simulat. *Nonne hic habemus inquit, inhonestum tractatum cum simulatione confessionis in loco ad confessionem electo?* At quomodo demonstrat in casu intercedere simulationem confessionis? Profecto nullo argumento, vel ex suppositione tantum quod adstantes domi fortasse putant Confessarium audire mulieris confessionem. Atqui hoc non sufficit ad statuendam simulationem confessionis. « Simulatio, » scribit Roncaglia *Moralis Theologia, Tract. XIX, quaest. VIII, Cap. 1. Quaer. 8*, intervenit » quando ita externe se gerit confessarius ut adstantes putent hic » et nunc audire confessionem; ut » si ita simularet se applicatum, » sicut facere solet, quando audit » confessionem, seu extenderet manum erga poenitentem, quasi vellet » absolvi. »

Felix Potestas autem *Examen confessoriorum Tom. II, Part. III, n. 542* clarius rem explicat: « Simulatio confessionis, inquit, tunc » habetur quando tam Confessarius » quam mulier ex conducto, sine » intentione confessionis, eam fin-

» gunt signis externis sufficientibus, » ut adstantes intelligant, ibi hic » et nunc confessionem audiri. Un- » de simulare confessionem est sollicitationem intentam confessione » ficta velare. »

« N. 343: Signa externa simulationis ex parte confessarii sunt » sedere in loco convenienti, bene » dicere mulierem, manum ante » faciem tenere, ut in auscultando » confessiones fieri solet, et demum » manum supra caput eius extendere, fingendo illam absolvere. » Ex parte autem mulieris signa » sunt genuflexio, signum crucis, » percussio pectoris, manuum coniunctio, collocutio humilis cum » confessario, quae exterius apparent, accusatio peccatorum. »

Atque ita etiam alii. Et quidem rationabiliter: nulla enim confessionis simulatio supponi potest, nisi adstantium respectu qui sine huiusmodi simulatione, optime intelligerent de qua re agatur; atque hinc in loco ad confessiones destinato et electo graviora et luculentiora simulationis signa exiguntur, quam in Confessionali, cum hoc per se ad confessiones excipiendas tantum destinatum sit; loca vero destinata aut electa etiam ad alia quae nullo modo ad confessionem aut ad negotia religiosa referuntur.

Atqui in casu a S. Alphonso proposito quomodo simulatio confessionis habetur? cum enim mulier in cubiculum confessarium advocaverit confessionis praetextu, hunc

non certe ad confessionem invitat sed ad peccandum; cum autem supponatur Confessarius sollicitationi cedere, nulla est, vel esse potest simulatio confessionis; non enim haec necessaria supponitur ad peccandum, quando libere peccari potest, et nemo videt; hoc insuper in casu neque supponitur. E contra adstantes nihil omnino vident, nihil audiunt, nihil intelligunt; ergo neque relate ad adstantes simulatio confessionis habetur in casu. Neque subsumendum est, in casu adstantes putare a Confessario mulieris confessionem audiri. Etenim ex dictis hoc non sufficit ad simulationem confessionis in loco destinato aut electo, sed omnino requiruntur externa signa, quibus adstantes confessionem concipiant: sin minus si dum in loco confessionis destinato aut electo degat confessarius, et mulier aliqua ingrediatur atque cum confessario peccet, nullo intercedente vel praetextu, vel occasione, vel simulatione confessionis, eo quod qui extra locum degunt putent, a Confessario audiri confessionem mulieris, denunciandus esset; quod nemo dixerit. Ex iis autem patere arbitramur adhaerendum esse S. Alphonsi sententiae.

At ulterius Confessarius denunciandus est, si etiam *extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia*

sollicitare vel provocare... tentaverint.

Porro Confessionale proprie est locus, quo Christifidelium confessiones excipiuntur, atque confectum ligno est, habens vel ad unum vel ad utrumque latus, iuxta variam structuram, laminam ferream cum

parvis foraminibus, et in Ecclesia collocatur.

Verum ea loca in quibus excipi solent Confessiones monialium, vel mulierum degentium in locis, vulgo *Conservatorii, Ritiri*, pro veris Confessionalibus sunt habenda etiam quoad mulieres extraneas (1).

(1) Id constat ex declaratione S. Congregationis S. Inquisitionis lata die 26 Novembris 1874 ad instantiam Rerevendissimi Formisano Nolae in Campania Episcopi. Hic sequentia dubia proposuerat: « 1. An loca, in quibus excipi solent confessiones monialium, habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, vel ut vera confessionalia. II. An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones monialium claustrarium, in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis quae vulgo dicuntur *Conservatorii, Ritiri etc.* III. Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales, et alias degentes in praedictis locis, vel etiam quoad alias mulieres extraneas? »

Eminentissimi Patres respondendum censuerunt: *ad tria dubia prout proponuntur: Affirmative.* Acta S. Sedis Tom. IX, pag. 530.

Adm. Rñdus Archipresb. Petrus Rota in suo commendando volumine *Enchiridion Confessarii et Iudicis Ecclesiastici. Augustae Taurinorum 1884* etiam ex relato supremæ Inquisitionis decreto probare satagit, nullam dari distinctionem inter Confessionalia et loca ad audiendas confessiones destinata. « Ex his, ni fallor, scribit, patet luce meridiana clarius, S. U. Inquisitionem ipsam hoc responso docere discrimen nullum esse inter *confessionalia et loca destinata* ad confessiones. » At venia clar. viri, eiusmodi identitas ex cit. declaratione nobis nullo modo apparet: Etenim cum Supremi Inquisitores ad dubia proposita responderunt *affirmative*, unum affirmarunt et declararunt, scilicet loca, in quibus excipi solent confessiones monialium, non esse habenda ut loca destinata ad audiendas confessiones, sed ut vera confessionalia.

Cum autem de aliis locis nihil declaraverint quomodo dici possunt supremi Inquisitores declarasse loca omnia ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia? Ad inferendum id quod auctor infert, necessarium fuisset ut dubium universaliter propositum fuisset: ex gr. *an loca ad audiendas confessiones destinata eadem censenda sint ac confessionalia?* Ad quod dubium si supremi Inquisitores respondissent *affirmative*, staret profecto illatio ab Archipresbytero Rota inducta. At cum dubium propositum tantum fuerit circa loca destinata ad audiendas confessiones in Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri*, dum supremi Inquisitores responderunt *affirmative*, de iis tantum declarationem ferre intenderunt, non de aliis; quod de cetero patet evidentissime ex ipsius responsionis verbis: *Ad tria dubia prout proponuntur*; ergo non aliter, nec de aliis. Revera si ex responsione ad tria proposita dubia inferamus, Inquisitores supremos declarasse omnia loca ad confessiones audiendas destinata vera esse confessionalia, nonne consequentia magis pateret quam praemissae; cum in hisce agatur de locis desti-

Locus destinatus ad confessiones audiendas est alius quicumque a confessionali distinctus, ubi confessiones audiuntur; ex. gr. cellulae prope sacristiam, vel sacristia ipsa. Demum locus electus est qui

natis ad confessiones audiendas in Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri*; consequentia vero ad omnia prorsus loca destinata extendatur?

At praeter loca destinata in praedictis locis esse etiam alia, ipsemet affirmat auctor *loc. cit. pag. 177. Col. 1.* ubi. « Sed inter loca ista, inquit, legitime destinata veniunt etiam *subsellia, vel loca, vel cellulae, non ad praedictam formam extractae, sed diversimode, pro diversis circumstantiis, dummodo ibi ex ordinaria consuetudine, et servatis servandis, confessiones audiantur, prout in Sacristia, in domibus religiosis.* » Concedit igitur non in unis Monasteriis, *Conservatorii, Ritiri* adesse loca ad confessiones audiendas destinata, sed etiam aliis in locis; at circa ista neque quaesitum, neque responsum fuit; ergo ad haec loca non est extendenda supremæ Inquisitionis responsio. Ergo falsum est, ex Inquisitionis supremæ citata responsione probari, omnia loca destinata ad confessiones audiendas esse confessionalia, nullumque dari discrimen. Quod etiam patet ex facto, cum in plurimis locis destinatis confessionalia desint.

Non negamus equidem, ad rem suam probandam, cit. auctorem uti tum auctoritatis, tum rationis argumento. Et quoad auctoritatem, aliis praetermissis, quos consulere non vacat, innititur Rmo d'Annibali, qui tum in *Summula, part. III, pag. 179. Nota 1. Edit. 2. 1882*, tum in *Commentario pag. 103, Nota 14* scribit identice: « *Loca destinata* dicuntur cellulae illae in Ecclesiis extractae, ubi *subsellia* cum imaginibus Crucifixi huius rei causa posita sunt: *electa* ea in quibus quis in praesens, pro re nata confessionem excipit, sive domi, sive in agro, sive in via. Quibus autem opus sit ut in his locis confessio simulari videatur, in facto non in iure consistit. At ea loca in quibus excipi solent confessiones monialium, vel mulierum degentium in locis, vulgo *Conservatorii, Ritiri*, pro veris Confessionalibus sunt habenda etiam quoad mulieres extraneas. » (S. U. 9. 25 Nov. 1874).

In quae clarissimi auctoris sententia haec ipse scribit. « Duo tantum locorum genera Clausula haec VII complectitur, nempe *loca destinata* et *loca electa*; etenim confessionalia inter loca destinata recensentur, prout recte docet egregius d'Annibale ». *Loc. cit. pag. 177, Col. 1.*

Verum nos non intelligimus quo sensu haec ab Archipr. Rota dicantur; si enim affirmet, clarissimum d'Annibale non distinguere in allegato testimonio loca destinata a Confessionalibus, non videmus quomodo haec probare possit; etenim Rmus D'Annibale S. Officii nunc Assessor evidentissime loca destinata a Confessionalibus distinguit, ut ex allata definitione *locorum destinatorum* patet; quae aliter definiuntur etiam ab ipso Rota. D'Annibale insuper postquam generice designaverit loca ad audiendas confessiones destinata, unice excipit loca in quibus audiri solent confessiones Monialium, vel mulierum degentium in locis vulgo *Conservatorii, Ritiri*, quae ex cit. S. Officii declaratione pro veris confessionalibus habenda esse decernit. Si vero affirmare intendat ab doctissimo D'Annibale habitae fuisse loca destinata ad audiendas confessiones Monialium pro veris confessionalibus, prout suprema Inquisitio decrevit, hoc verum esse dicimus, sed exinde nihil,